



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

28. Pastoralis nostra, &c. Qua Parochialium Ecclesiarum & Vicariarum
rektoribus, extra mœnia Urbis constitutis, & æqua sustentatione
carentibus, congrua portio adsignatur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

A N N O
1726.mo vigesimo sexto, nono Kalendas Junias,
Pontificatus nostri anno tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.
L. Martinettus.*Hoc transcriptum conforme esse suo Originali si-
dem facio & attestor ex Officio. In nostro Immacu-
late Conceptionis Conventu de Urbe die quartâ Julii
anno 1726.*

Loco † Sigilli

F. CHERUBINUS A NOVE Rmi.
P. Galis. Socius à Secretis nec non in Cu-
riâ pro Provinciis & Ditionibus Gallica-
nis &c.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Fidem facio per presentes ego Causarum
Curia Camera Apostolica Notarius publi-
cus infra scriptus; qualiter, porrecto pro parte
Paris Procuratoris Generalis Fratrum Minorum
S. Francisci Cappuccinorum supplici libello San-
ctissimo Domino Nostro Papæ BENEDICTO
XIII. mihi &c. originaliter exhibito cum peti-
tione, ut interim, donec à Sancta Sede Aposto-
lica decidantur nonnullæ dubitationes circa in-
telligentiam Bullæ per Sanctitatem Suam editæ
incipientis: *Ratio Apostolici Ministerii*, nono Ka-
lend. Junii 1726. sua Religio ad quietem, & sa-
lutem animarum plenè, & pacificè fruatur, ac
frui possit circa Tertiarios B. P. S. Francisci om-
nibus facultatibus, & gratis, quæ Sanctitas Sua
in eadem Bulla in favorem Ordinis Cappuccino-
rum clementissimè largita est, à tergo illius re-
cognovi rescriptum per me diligenter de verbo
ad verbum, nil addendo, vel minuendo, quod
substantiam mutet, aut variet intellectum, sed
prout jacet extractum tenoris sequentis, videlicet:
*Ex Audientia Sanctissimi die 24. Mensis Septembris
1726. Sanctissimus annuit declarati mi, quod per
Constitutionem Sanctitatis Suae favore PP. Ordinis
Sancti Francisci de Observantia non fuit derogatum
Privilegiis Ordinis Cappuccinorum vestiendi, & ad-
mittendi ad Professionem Tertiarios ejusdem Ordinis,
N. Card. Coscia. Loco † Sigilli dicti D. Cardinalis.*
Diciturque supplicem libellum, expleta dicta ex-
tractione, statim exhibenti restitui non solum
&c. sed & omni &c. In quorum fidem &c. Da-
tum Romæ hac die secunda Octobris anni 1726.
*Ita est. Salvator Paparozzius Caus.
Curia Cam. Apost. Not.*

Nos ad presens Camera Alme Urbis, Inclyti-
que Populi Romani Conservatores, universis
fidem indubiam facimus, & sub verbo veritatis at-
testamur, supra dictum D. Salvatorem Paparozzius
esse talem, qualem se supra fecit, Rev. Camera A-
postolicæ Notarium publicum legalem, authenticum,
& fide dignum, scripturisque suis tam publicis, quam
similibus in judicio, & extrâ semper adhibitam fuisse,
& de presenti plenam adhibere fidem. In quorum
testimonium &c. Datum Romæ ex Aedibus nostris
Capitolinis, hac die 2. Octobris 1726.

Pro D. Secretario Nob. Collegii DD. NN. CC.
Urbis Philippus Cajetanus Diamila de mandato &c.
Concordat supra scriptum transcriptum cum
Originali in Archivis Officii nostri asser-
vato. Romæ 8. Octobris 1726.

Loco † Sigilli

F. BERNARD. PROC. Coms. Glis,
Minor. Cappuc.Ita est. F. CHERUBINUS A NOVE
in Curia pro Gallis &c.

C O N S T I T U T I O

Qua Parochialium Ecclesiarum & Vicariarum
rectoribus, extra mœnia Urbis constitutis,
& æqua sustentatione carentibus, congrua
portio assignatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.*

Pastoralis nostra sollicitudo exigit, ut in hoc
præcipue excubemus, ne cura animarum in
Ecclesiis parochialibus hujus almæ Urbis, &
extra ejus pœneria constitutis, neglecta & col-
lapsa propterea concidat, quod earumdem Rec-
toribus congrua sustentatio desit, sine quibus
eorum officium non eo, quo par est, zelo & pie-
tate exerceri, ipsamque animarum salutem mag-
num discrimen incurrere, longa experientia di-
dicimus. Antecessor quidem noster Pius Papa
V. ut sacrosancti Concilii Tridentini decreta in
usum induceret, varias in hujus almæ Urbis Ec-
clesiis perpetuas Vicarias, actualem animarum
curam habentes, congrua & sufficienti portione
assignata, providè instituit. Alii quoque felicis
recordationis antecessores nostri, Urbanus VIII.
& Clemens XI. quasdam parochiales Ecclesias &
Vicarias extra pœneria Urbis erexerunt, ut in-
colis suburbanis auxilia spiritualia, quacunque
occasione, tam in doctrinæ Christianæ rudimen-
tis rite explicatis, quam in Dei verbo festis
diebus ex ore sacrorum Ecclesiæ ministrorum au-
diendo, inque Christi Domini sacramentis, ex
eorumdem manu recipiendis, prompte suppete-
rent.

Nihilominus priusquam ad erigendas novas
parochiales Ecclesias procedamus, in maturum
examen vocari decrevimus, an revera hujusmodi
Rectores, & Vicarii, olim, ut diximus, instituti,
congrua & sufficienti sustentatione fruenterent; si-
que eis æqua & congrua ejusdem portionis ad-
signatio deesset, quoniam pacto eis assignari posset.
Ad hanc rem penitus explorandam, S. R. E. Car-
dinalium & Prælatorum Congregationem habendam
indiximus, quorum suffragia, & simul ex-
positionem, hac de re literis traditam per eum
ex Prælati, qui eidem Congregationi fuit à se-
cretis, attentè consideravimus. Quare uniformi
suffragiorum & sententiarum tenore percepto,
consilioque & approbatione totius Congregatio-
nis probe intellectis, in hanc determinationem
devenimus, ut primo loco subseqventibus Vicariis
& parochialibus Ecclesiis congruas portio-
nes non esse assignandas judicaretur, quia suffi-
cienter dotatæ reperiuntur. Sunt verò

1. Beati Angeli ad Fornaces.
2. Beati Lazari.

Hæ duæ Vicariæ à Basilica Vaticana dependent.

3. Parochialis Ecclesia beatorum Laurentii
& Urbani ad primam Urbis portam.4. Vicaria beatæ Mariæ ad Magos, quæ à
Basilica Lateranensi dependet.5. Parochialis Ecclesia beati Sebastiani ex-
tra portam Capenam, ex Basilica Lateranensi
olim dismembrata.

Secundo loco statuimus & declaramus, nullam
congruam assignandam parochiali Ecclesiæ Basi-
licæ sancti Pauli in via Ostiensi, olim dismem-
bratæ ex diaconia beatæ Mariæ in Cosmedin.
Siquidem cœnobium Monachorum Casinensium,
ad quos eadem Basilica sancti Pauli pertinet, re-
ditus & sufficientem portionem habet. Quare
huic nulla congrua portio debetur. Pari modo
parochiali Ecclesiæ beati Laurentii in agro Vera-
no, quam regunt Canonici regulares sancti Sal-

A N N O
1726.

XXVIII.

I.
Rectoribus
Ecclesiarum
parochialium
congrua sus-
tentatio de-
betur.II.
Ecclesiæ pa-
rochiales &
Vicariæ ex-
tra Urbis
mœnia, qui-
bus congrua
portio non
est assignan-
da.

vato-

ANN O
1726.

III.
Ecclesie pa-
rochiales ex-
tra Urbis mœ-
nia. quibus
congrua por-
tio adigna-
tur.

vatoris, nullam congruam portionem adigna-
dam esse decernimus.

Tertio loco portionem, & congruam sustenta-
tionem subseqentibus Ecclesiis parochialibus ad-
signandam esse perspeximus, & hac nostra
Constitutione adsignamus. Hæc verò sunt.

1. Parochialis Ecclesia beati Francisci in Monte
Mario, quæ pertinet ad Congregationem Eremita-
rû beati Petri de Pisis. Huic Parochiali Ecclesie,
ejusque Rectori centum annua scuta argentea mon-
etæ Romanæ pro congrua assignari volumus &
mandamus.

2. Parochialis Ecclesia beatæ Agnetis in via
Nomentana, quæ pertinet ad Canonicos regu-
lares sancti Salvatoris, annuam portionem con-
gruam sexaginta scutorum argenteorum monetæ
Romanæ omnino habeat.

Licet vero jam dicto parochialis Ecclesia beati
Francisci in Monte Mario pro majori parte dis-
membrata fuerit ex parochiali Ecclesia beatæ Ma-
riæ de Populo ad portam Flaminiam, quæ ad
fratres Eremitas Augustinianos, Congregatio-
nis Lombardiæ nuncupatos, pertinet, ex qua
Ecclesia altera quoque beatæ Agnetis in via No-
mentana fuit dismembrata, unde censeri posset,
utriusque parochialis Ecclesie Rectori congruam
portionem ex fructibus Ecclesie matricis debere
adsignari; nihilominus quia, re accurate per-
penſa, comperimus, Ecclesiam beatæ Mariæ ad
portam Flaminiam redditibus non superabundare,
nec ei tot fructus suppetere, quot necessarii sunt
pro commoda primarii & secundarii sui Rectoris
alimonia, ita ut absque detrimento rerum nec-
cessarium pro decenti suorum ministrorum,
qui curam animarum exercent, sustentatione,
congruam portionem novis Rectoribus beati
Francisci in Monte Mario, & beatæ Agnetis in
via Nomentana de suo dare non possit; ideo fa-
ctorum Canonum dispositioni inhaerentes, qui
hoc casu matricem Ecclesiam à quacunque con-
tributione eximunt, & parochianos obligant,
ut congruam portionem novis Rectoribus de suo
subministrant, nos præsentibus literis nostris,
perpetuum robur imposturum habituris, statu-
mus & declaramus, ut centum annua scuta ar-
gentea monetæ Romanæ parochiali Ecclesie &
Rectori beati Francisci in Monte Mario, & si-
militer scuta sexaginta alterius parochialis Eccle-
siae Rectori beatæ Agnetis in via Nomentana
adsignentur ex divisione, Partitione & taxa,
prædictis imponenda, quæ intra limites utriusque
Ecclesie comprehenduntur, quum dictis Eccle-
siis, aut matriçi nullas decimas solvant.

Volumus autem, ut per directos dominos eorundem prædiorum tota eadem taxa Ecclesiis, res-
pectivè, solvatur. Si vero prædia à directis do-
minis in emphyteusim tradita fuerint, tunc decer-
nimus, ut per emphyteutam rata ejusdem taxæ ita
solvatur; ut dominus directus, qui totam taxam
Ecclesie persolvit, pro rata, quæ contingit em-
phyteutam, ab hoc rescit debeat: quæ rescitio ut
facilior evadat, statuimus, ut dum prædia tax-
antur, emphyteuta distinctim pro sua rata etiam
taxetur. Pauperes tamen agricolas & vinearum
cultores rerum inopia laborantes, qui propriis
manibus & corporis assiduo labore sibi victum
conquirunt, à quacunque ejusmodi congruæ por-
tionis solutione immunes esse & fore Apostolica
auctoritate declaramus, ac penitus eos eximi-
mus.

Præsentibus verò literis ex eo etiam quod quicun-
que in præmissis interesse & rem habentes, aut
habere prætendentes, illis non consenserint, & ad
ea vocati non fuerint, & causæ, propter quas illa
fiant vel facta sint, alias examinata, verificata
& justificata non fuerint, seu alias ex quocun-
que alio capite vel causa, quantumvis legitima,
vel juridica, de intentionis nostræ, vel quocunque
alio defectu, notati, impugnari, retractari, annul-

lari, vel invalidari, seu in jus vel controversiam
vocari, aut ad viam & terminos juris reduci, seu
adversus illas quodcumque juris vel facti remedi-
um impetrari aut concedi, nullatenus posse decer-
nimus; sed semper illas validas & efficaces existe-
re, suosque plenarios & integros effectus sortiri
& obtinere debere: neque sub quibusvis simili-
um vel dissimilium gratiarum revocationibus, sus-
pensionibus, limitationibus, derogationibus, aut
aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, &
successores nostros Romanos Pontifices pro tem-
pore existentes, Sedemque Apostolicam, sub qui-
buscunque verborum expressionibus & formis,
ac cum quibusvis clausulis & decretis, pro tem-
pore, quomodolibet factis, comprehendi vel con-
fundi; sed ab illis semper excipi: & quoties illa
evenerint, toties in pristinum & validissimum
statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac de
novo, & sub quacunque posteriori data, per be-
ati Francisci in Monte Mario ac beatæ Agnetis in
via Nomentana parochialium Ecclesiarum, præ-
dictos respectivè, Rectores, nunc & pro tempore
existentes, quodcumque eligenda, concessas
esse, & fore; sicque per quoscunque Judices ordi-
narios Commissarios & delegatos, quavis auctori-
tate fungentes, etiam causarum Palatii Apostoli-
ci Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de
latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nun-
cios, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judican-
di & definiendi facultate & auctoritate, judicari
& definiiri debere; irritum quoque & inane quid-
quid fecus super his à quoquam quavis auctori-
tate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca dilecto filio nostro in Urbe prædicta,
ejusque districto Vicario in spiritualibus generali,
cui per easdem præsentibus auctoritate nostra præ-
dicta facultatem concedimus & impertimur, ut
prædictis, quæ sub prædictis beati Francisci in Monte
Mario & beatæ Agnetis in via Nomentana paro-
chialibus Ecclesiis, respectivè, comprehenduntur,
taxam prædictam eo modo, quo alias in hujus-
modi, eventibus impostam fuisse cognoverit,
respectivè, imponere libere, & licite valeat; per
easdem præsentibus etiam committimus, & manda-
mus, ut ipse per se vel alium, seu alios easdem præ-
sentibus & in eis contenta quæcumque, ubi & quan-
do opus fuerit, & quoties pro parte beati Franci-
sci in Monte Mario & beatæ Agnetis in via No-
mentana parochialium Ecclesiarum prædictarum,
respectivè, pro tempore existentium Rectorum hu-
jusmodi, fuerit requisitus, solemniter publicans,
eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio
assistens, faciat auctoritate nostra illos præmissorum
omnium & singulorum plenariè effectua pacifice
frui & gaudere, atque eis de portionibus prædictis
integre responderi, non permittens illos super his
à quoquam quavis auctoritate quomodolibet
indebite molestari; contradictores quoscunque
per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque op-
portuna juris & facti remedia, appellatione post-
posita, ac manu regia compescendo; non obsta-
tibus nostra & cancellariæ Apostolicæ regula de
jure quesito non tollendo, ac Constitutionibus &
Ordinationibus Apostolicis, nec non restantium
voluntatibus, aliisque dispositionibus, dictæque
Urbis ac artis agrariæ in Urbe prædicta, etiam
juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis
firmitate alia, respectivè, roboratis statutis & con-
suetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis
Apostolicis, libertatibus, immunitatibus, & exemp-
tionibus, Urbi & arti prædictis, ac Urbis populo,
Senatori, Conservatoribus, nec non artis ejus-
dem Consulibus, artemque hujusmodi exercentibus,
& quibuscumque Ecclesiis & Ba-
silicis, etiam parochialibus, aut cuiusvis ordi-
nis & instituti monasteriis ac religiosis domi-
bus, etiam mendicantium, Congregationi etiam
undecim Congregationum nuncupatæ, Socie-
tati etiam Jesu, militibus etiam Johanni-

ANN O
1726.

VI.
Urbis Vicario generali in spiritualibus committitur executio hujus constitutionis.

XIX

Concil. Trid.
sess. XXI. cap.
xv.

IV.
Directi domini prædiorum congruam solvant Rectoribus Ecclesiarum parochialium.

V.
Clauſuræ de-
rogatoria.

ANNO
1726.

Hierosolymitani, ac hospitalibus etiam nationalibus aut regularibus, etiam sancti Spiritus in Saxia, beati Antonii Viennensis, & generatim quibuscumque locis piis, quomodolibet nuncupatis, & quibusvis aliis personis, quomodolibet pariter nuncupatis, cujuscunque gradus & conditionis, etiam speciali mentione dignis, ac eis, eorumque prædiis ac bonis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis ac irritantibus clausulis & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam pluries concessis, approbatis & innovatis: quibus omnibus & singulis, eorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

VII.
Nemo his literis contradicere audeat.

13. Kalend.
Aug. 1726.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, confirmationis, innovationis, sanctionis, declarationis, præcepti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, XIII. Kal. Augustas, pontificatus nostri Anno tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

V I S A.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vicesimo sexto, Indictione quarta, die verò 6. mensis Septembris, Pontificatus autem SS. in Christo Patris & D. N. D. BENEDICTI divina providentia Papæ XIII. anno tertio, supra dictæ Literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum, Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis in locis solitis & consuetis per me Antonium Ursinum Apost. Cursorem.

Bandinus Cheti Curs. Mag.

XXIX.

Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri

BENEDICTI XIII.

PONTIF. MAXIMI.

CONSTITUTIO.

Pro Tertiariis Fratrum Minorum beati Francisci, qui conventuales appellantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ANNO
1726.

I.
Proœmium.

Singularis devotio, quam erga beatum Franciscum, ordinis fratrum minorum in plures familias distincti, piissimum Conditorum, profitemur, jure exigit, ut universos tanti parentis Religiosos filios pari nostræ benevolentia significatione complectamur & omnia litemina semina ex illis, qui sub ejus Regula Deo famulantur, prorsus evellere studeamus.

Non modica quidem animi nostri molestia nuper accepimus, inter illos discordia occasionem inde ortam, quod per Constitutionem nostram, quæ incipit: Paterna sedis apostolica providentia, vulgatam IV. Idus Decembres, Anno Domini MDCCLXXV. Pontificatus nostri secundo totius ordinis fratrum minorum beati Francisci, qui alias à regulari observantia nuncupantur, Ministro Generali & secundariis superioribus auctoritatem & jurisdictionem in suos Tertiarios, per felices memoriæ antecessores nostros Romanos Pontifices traditam, confirmaverimus, ut per eisdem beati Francisci vestigia gradientes, alacrius in Dei famulatu perseverarent, sique sanctissimi Institutoris Exempla aliis imitanda proponerent. Haec enim Constitutionem tam luculentam, atque alienæ interpretationis expertem, quæ unum Tertiarios, Ministro Generali fratrum, minorum, qui à Regulari observantia nuncupantur, subjectos tantum respicit, & singulatim nominat, non verò alios, speciali nota dignos; nihilominus contra expressam mentem nostram, ad illos Tertiarios etiam, qui vivunt, semperque vixerant, sub ministro Generali & secundariis superioribus fratrum minorum beati Francisci, qui Conventuales dicuntur, detortam fuisse intelleximus. Quare nos ipsi, quibus cura specialis incumbit, ut auctoritate nobis divinitus tradita, jus suum unicum que pro virili servemus, atque ordines regulares, rivilegiis, ob suarum virtutum merita sibi ab hac sancta apostolica sede concessis, pacifice in Domino utantur; huic dissidio post maturam deliberationem occurrere volentes, præsentibus literis nostris, perpetuum robur impostum habituris, motu proprio & ex certa scientia declaramus, sancimus, atque statuimus, uni Ministro Generali & secundariis superioribus ordinis fratrum minorum beati Francisci, qui conventuales dicuntur, non verò aliis auctoritatem & jurisdictionem in suos Tertiarios debere & competere.

Hanc autem auctoritatem & jurisdictionem, iisdem fratribus Conventualibus pia memoria Romani Pontifices antecessores nostri pluribus ab hinc sæculis apostolica largitate indulserunt, videlicet Innocentius IV. literis incipientibus: Vota Devotorum, datis Lugduni idibus Junii anno Domini MCCXLVI. Pontificatus IV. Nicolaus IV. literis incipientibus: Unigenitus Dei filius, datis apud Urbem veterem VI. idus Augustas Anno MCCXC. Pontificatus III. Martinus V. literis incipientibus: inter cetera datis Romæ V. idus Decembres Anno 1425. Pontificatus X. & Sixtus IV. literis incipientibus Romani Pontificis providentia, datis Romæ 18. Kalend. Januariis Anno 1475. pontificatus I. quare nos quoque decessorum nostrorum gestis inherentes, eorundem Apostolicas literas, jam recensitas, auctoritate nostra iterum confirmamus, inque suo primævo robore nunc, & deinceps manere volumus: ideoque approbantes, atque iterum confirmantes omnem potestatem, auctoritatem & jurisdictionem in eisdem Tertiarios Ministro Generali cæterisque secundariis superioribus ordinis Fratrum minorum Conventualium beati Francisci, ab antecessoribus nostris olim concessam, omnes-

II.
Constitutio edita pro tertiariis fratrum minorum observantium non respicit tertiarios fratrum minorum Conventualium.

III.
Privilegia per summos pontifices fratribus minoribus conventualibus concessa iterum confirmantur.

que